



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio VIII. De Causis vt sic, & de causa materiali. & formali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

quæ sic disponuntur, & applicantur, ex natura sua faciunt illas res supposita illa dispositione ac applicatione, tanquam conditione sine qua non. Quod vero ars per modum conditionis applicantis faciat res naturales, quæ est secunda pars conclusionis, patet quotidiana experientia rerum quæ fiunt per artem chymicam.

35. *Obiicies* contra hoc: Ægyptij sapientes per artem magicam faciebant serpentes, ut habetur *Exodi* 7. & statua Dædali fiebant tali arte, ut ambulant hac illac, & columba quædam ab Archita facta ambulabat.

Respondetur. Sapientes illos non potuisse facere serpentes viis arte alio modo, quam applicando actiua naturalia passiuis naturalibus: facile autem erat Dæmonibus talia actiua, & passiuia subitanè adducere, petentibus id illis sapientibus, ex quibus cito generarentur illi serpentes, & poterant etiam ijdem Dæmones serpentes aliunde generatos subito ed adducere tam inuisibiliter, & dextre, ut apparere posset eos à Magis generatos, quamuis reuera non generarentur ab ipsis: & poterant etiam non minus facile ipsorum opera facere, ut statua illæ discurrerent, & columba volaret, quod si ita fieret, experientia illæ non essent ad rem.

36. *Obiicies* secundo. Aurum fit arte chymica: ergo ars facit opera naturæ.

Respondeo, si antecedens esset verum, negando consequentiam, quia non producitur aurum illa arte, nisi applicando actiua naturalia passiuis naturalibus, ut patet ex determinatis rebus, quas Chymici solent applicare, & sine quibus nec ipsi se aurum facere posse. Quod si queratur de veritate ipsius antecedentis, an scilicet reuera per artem chymicam fieri possit aurum?

Respondeo primo, mihi non apparere ullam rationem, propter quam non posset fieri verum aurum ministerio icuius artis, quæ ostenderet, quæ actiua quibus passiuis applicari deberent, vrid fieret: nec magis difficile videtur aurum sic facere, quam multa alia, quæ compertum est per artem fieri: & speciatim non magis difficile videtur aurum facere ex aliis corporibus applicatis aliquo determinato modo, quam ex seta equina generari vermem, quod fieri quotidiana compertum est experientia; aut ex baculo aliquibus aquis immerso fieri ferrum, quod in Hibernia nostra contingere plures grauissimi testantur Historici.

37. *Respondeo tamen secundo*, mihi videri, quod per artem chymicam, quæ de facto habetur, absque saltem aliqua maiori perfectione non possit fieri aurum verum, atque ideo illos, qui eo fine in ea laborant, oleum perdere & operam. Moueor ad hoc, quia non apparet mihi verisimile, quod ars aliqua sufficiat ad aliquid præstandum, quam plures doctissimi, & ditissimi homines multis annis, summo labore, magnis expensis, & incredibili attentione ac diligentia exercuerunt, nec tamen consecuti sunt intentum: sed ita est de arte chymica: ergo non sufficit absque aliqua alia maiori perfectione. Nec credendum est illis, qui dicunt fuisse huius artis adminiculo factum verum aurum: tum quia id non refertur à talibus, quibus fides in re tali est adhibenda, tum quia Ecclesia in extrauag. *spondent*, vsum huius artis prohibet, & ne aurum vllum beneficio eius factum vendatur præcipit, obligans vendentes ad restitutionem. Non est autem verisimile, quod hoc faceret si putaret, verum aurum beneficio eius factum fuisse; & quamquam posset prohibere vsum eius, non obstante, quod aliquando per eam factum fuisset aurum; quia posset fieri magnus abusus in eius exercitio, qui præponderaret emolumento auri; tamen non deberet obligare absolute ad restitutionem, quia si verum esset aurum, non curreter, nec utilis esset illa obligatio, modo adhibitis omnibus diligentis compertum esset, quod reuera esset verum aurum. Nisi forte diceretur, quod obligaret ad restitutionem, ut deterreret homines, quos facile lucri cupiditas ad huiusmodi studium impelleret, ab exercitio artis quæ plus adferret Reip. detrimenti, quam emolumenti.

An aurum
possit fieri
arte chy-
mica.

DISPUTATIO VIII.

DE CAUSIS UT SIC, ET
DE CAUSA MATERIALI & FORMALI.

Antequam de causis in particulari agamus, præmittenda sunt aliqua de illis in communi, quæ ad notitiam illarum in particulari conducere poterunt: & quia pauca præter dicta libro primo de materia & forma, dicenda sunt de causa materiali & formali, ad vitandam disputationum multiplicationem, in hac eadem disputatione illa tractanda videbantur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Causa ut sic?

1. **N**on agitur hic de causa, neque in acceptione largiori, in qua comprehendit etiam priuationem, quam supra vocauit Philosophus principium & causam rerum naturalium; neque in acceptione strictiori, in qua solum comprehendit causas, quæ verè efficiunt; sed in acceptione media, qua comprehendit quatuor vulgaria causarum genera, materiam scilicet, formam, efficientem, finem. In qua acceptione non vno modo ab omnibus describitur, & alteri alterius displicet descriptio, cum tamen in re ipsa fere quolibet ad eundem sensum reduci possit, & æque approbati vel improbati, vt ex dicendis patebit.

Rursum & alij recentiores explicant Causam ut sic esse principium per se influens in effectum. Dicitur principium, quia in hoc, tanquam in genere, conuenit cum priuatione, quæ est principium corporis naturalis; puncto, quod est principium lineæ; instanti, quod est principium temporis. Dicitur influens, vt distinguatur ab illis aliis principiis, quæ non influunt in rem illam, respectu cuius dicuntur principium. Dicitur in effectum, vt distinguatur à Patre æterno, qui est principium influens in Filium æternum, sed non in effectum, quia Filius non est effectus eius.

Hanc impugnant Complutenses, quia non ponitur aliquid in hac definitione, per quod probetur quod Pater æternus non influat in Filium, tanquam in effectum, deberet autem aliquid tale poni. Verum hæc impugnatio non sufficit; negari enim deberet minor: satis enim ex perfectione infinita Filij æterni constat, quod non possit esse effectus; quia per effectum omnes intelligunt aliquid dicens imperfectam dependentiam, vnde non erat necessesse, vt ex hac definitione probaretur, quod non esset effectus; sed quantum ad hoc abunde sufficiebat, quod aliquid poneretur in hac definitione, per quod constaret, quod Pater æternus non esset causa, vt hic agimus de causis; ponitur autem aliquid tale, nimirum ly effectus.

2. *Melius impugnatur hæc descriptio*: quia licet reuera causa influat in effectum, & per hoc distinguatur ab aliis principiis, quæ non sunt causa; tamen si quis ignoraret naturam causæ, per hanc definitionem non posset deduci in cognitionem eius; quia non posset intelligere hanc descriptionem, nisi intelligeret quid sit effectus, vt patet: sed nõ posset intelligere, quid sit effectus formaliter (sic enim loquor de effecta) nisi intelligeret quid sit causa, & sic prius deberet, vel saltem æque primo cognoscere quid sit causa, quam cognoscere sensum huius descriptionis; vnde per hanc non deduceretur in cognitionem causæ.

Confirmatur hoc: quia vniuersaliter male describitur vnum correlatiuum per ordinem ad alterum, formaliter loquendo; quia in tali descriptione semper interuenit circulus, vt patet ex dictis in Logica pluribus locis: & sane ridiculum satis esset declarare alicui naturam Patris formaliter, dicendo, quod est id quod habet Filium formaliter. Quod si in hac descriptione non ponatur effectus formaliter, sed fundamentaliter, tum potest reduci ad sensum sequentis descriptionis.

Varie ex-
plicatio-
nes causæ.

Prima des-
criptio.

Impugna-
tio Com-
pluten-
sium rei-
citur.

3. *Fonseca* 1. *Met.* c. 7. q. 1. *sect.* 3. describit causam esse, à quo aliquid per se dependet, & per hoc excluditur Pater æternus à ratione causæ respectu Filij, quia Filius non dependet ab ipso.

Hanc impugnant Complutenses ex eo, quod non explicetur in ea, quid sit dependere, aut cur Filius non dependeat à Patre æterno, quandoquidem habeat esse ab illo, & sine illo nequeat habere suum esse.

Verum nec hæc impugnatio sufficit, quia poterat hic supponi tanquam satis notum, quid sit dependentia involuens imperfectionem, de qua hic, & quod Filius non posset ob suam infinitatem summam habere talem dependentiam.

Magis faceret contra illam, quod proprietates metaphysicæ dependant à prædicatis essentialibus, à quibus emanant, & tamen ista prædicata essentialia non sunt causa respectu eius: Et etiam corpus naturale in fieri dependeat à privatione, cum tamen privatio non sit causa ipsius in fieri, ut hic definitur causa.

Sed responderi ad hoc quoque posset, hic per dependentiam intelligi dependentiam per influxum positivum physicum, ad quam requiritur & entitas positiva in influxu, & distinctio realis rei sic dependentis à re, à qua sic dependet; privationi autem deest distinctio realis à prædicatis essentialibus, unde nec privationi, nec prædicatis essentialibus respectu proprietatum metaphysicarum potest competere hæc definitio sic explicata.

4. *S. Thomas* hic *lect.* 10. definit causam esse, ad quam sequitur esse alterius, & opus; 1. esse id, ex cuius esse sequitur aliud: quas descriptiones parum aut nihil discrepantes, tanquam profundius sensus, ac subtiliter ac proprie explicantes id, quod aliæ definitiones non explicabant, probant *Complutenses* hic.

Sed reuera ut bonæ sint, quod negant alij, & nominatim *Fuentes* hic, nihilo meliores sunt, quam prædictæ bene explicatæ, nec ipsæ absque explanatione bona vlla ratione valent. Nam in primis si verba ipsa spectes, certum est quod ad privationem sequatur esse compositi generati, & quod ad esse Patris sequatur esse Filij & Spiritus sancti, sequela originis. Unde ipsimet *Complutenses* addunt hanc sequelam alterius ad causam debere esse sequelam mediante influxu aliquo, & ad hoc ut sit talis influxus, requiritur distinctio numerica, ac realem inter essentiam rei, quæ per ipsum accipit; ac rei quæ per ipsum dat ac communicat esse, & propterea negant definitionem competere aut privationi, aut Patri æterno. Itaque quemadmodum illi hoc modo explicant hanc definitionem, & sic defendunt eam esse bonam, quæ alio modo intellecta non valeret, cur non possent alij intelligere per suam dependentiam, dependentiam non quæcumque, sed dependentiam rei realiter distinctæ & habentis diversam numero naturam à re, quæ est causa, & mediante influxu positivo talis rei: nihil ergo continet subtilitatis & profunditatis hæc definitio magis, quam aliæ definitiones; imo influxus causæ in effectum magis explicite denotatur per hoc, quod dicatur esse id, à quo aliud dependet, quam per hoc, quod dicatur aliud ad illud sequi.

5. *Arriaga* definit causam esse illam, quæ per se influit producendo essentiam. Hanc præfert ceteris à se ex aliis Doctoribus adductis, quia excludit bene, cui Pater non dicatur causa Filij, quia non producit eius essentiam; & quia non specificat, quod illud, respectu cuius dicitur causa esse talis, debeat esse aliud, hoc est, distinctum realiter; nam ipsa specificatio impediret bonitatem descriptionis, quandoquidem idem posset esse causa sui ipsius supernaturaliter.

Sed sane, vel ex hoc ipso hæc descriptio ceterarum omnium pessima est, quia implicat, idem posse esse causam sui ipsius, ut postea dicitur. Deinde, quamvis Pater æternus non possit dici causa Filij, quatenus filius Deus est, quia non producit essentiam sibi realiter identificatam, tamen non sequitur quin esset causa ipsiusmet filiationis secundum se considerata, quæ ut sic ab ipso realiter distinguitur, & habet esse ab ipso, tanquam à principio.

6. Bene describitur causa esse id, quod per se communicat esse alteri, seu quod influit esse in aliud, quod ex se & ex natura sua intrinseca posset non esse, atque adeo dependet cum imperfectione ab illo, quod sibi communicat suum esse. Hæc in re est communis, quamvis his verbis à nullo proponatur, quod sciam; præsertim quantum ad illam partem, quod ex se.

Probat autem, quia omni & soli convenit, & declarat sufficienter naturam causæ absque circulo, aut obscuritate, aut superfluitate, ut patebit ex eius declaratione. Dicitur quod *communicat seu influit esse*, quia reuera omnis causa communicat, seu dat esse, & in hoc differt à privatione, quæ licet necessaria sit ad composita generanda; non tamen dat ipsis esse, nec influit esse in illa, tum quia non est quid positivum, tum quia non est quando composita generantur aut producantur. Additur *per se*, ut excludatur causa per accidens, de qua postea, & etiam moralis causa, quæ nimirum præcipit, suadet, iubet, de qua hic non agitur. Dicitur *alteri seu alij*, per quod denotatur, illud, respectu cuius aliquid potest esse causa, debere esse distinctum realiter à causa, & habere naturam numero distinctam ab ipsa; nam aliàs non esset aliud aut alterum, proprie loquendo, à causa, sicut nec Filius æternus dicitur aliud à Patre, quia licet distinguatur realiter ab ipso, atque adeo posset dici alia persona ab ipso, & aliud etiam suppositum ab ipso; tamen quia habent eandem numero naturam, non potest dici aliud simpliciter ab ipso, ut docent Theologi in materia de Trinitate; quod tamen totum spectat ad vocem, nec alia controuersia potest esse, quam de nomine: unde per hanc particulam excluditur essentia creata à ratione causæ respectu proprietatum metaphysicarum; quia hæc non distinguuntur realiter ab essentia in nostra sententia; & etiam ob eandem rationem excluditur essentia Divina à ratione Causæ respectu attributorum Divinorum, & relationum originis, quæ ab ipsa emanant. Similiter Pater æternus excluditur à ratione causæ respectu Filij æterni; quia licet distinguatur realiter ab ipso, tamen, ut dixi, non est aliud ab ipso, quia habet eandem naturam cum ipso. Ad id idem videtur *quod ex se, &c.* vel necessitatis vel certe maioris claritatis gratia, quia licet per prædictas particulas sic explicatas possit excludi Pater æternus à ratione causæ respectu Filij, & licet etiam Filius possit dici non dependere à Patre, quemadmodum effectus dependet à causa, quia dependentia effectus à causa dicitur imperfectionem, qualem nequit dicere Filius; tamen adhuc non videtur sufficienter, aut saltem æque clare explicatum, cur non dicatur causa filiationis, quia filiationis realiter distinguitur ab ipso, & secundum se formaliter considerata non est eiusdem naturæ cum Patre, siue consideremus Patrem, ut dicit essentiam Divinam, siue ut dicit paternitatem, siue ut dicit veritatem.

7. Itaque in ordine ad hoc explicandum addidi illam particulam; quia nihil potest dependere dependentia involuente imperfectionem, nisi quod simpliciter, quantum est ex ratione sua formali, posset non esse; neque aliquid potest esse causa (ut hic agimus de causa) nisi respectu alius, quod sic dependet: unde cum filiationis non possit simpliciter non esse, quia ex natura sua identificatur realiter essentia divina, quamvis distinguatur realiter à Patre, & habeat etiam naturam distinctam minore à Patre; & quamvis etiam non habeat esse nisi à Patre, propterea non dependet à Patre dependentia involuente imperfectionem: nec est effectus Patris, aut Pater, causa eius: præsupponit quidem esse Patris, & indiget illo esse sic, quod si non esset Pater, non esset filiationis; tamen hoc non sufficit ut dicat dependentiam imperfectam, quæ iam communiter intelligitur per dependentiam, quando ponitur simpliciter absque addito in aliqua definitione; sed ut dixi, ad huiusmodi dependentiam requiritur illa possibilitas non existendi. Quod confirmari potest, quia non potest assignari ratio, cur habere aliquid ab alio esset imperfectionis magis, quam habere illud à seipso, nisi quatenus, ex eo

quod haberet ab alio, sequeretur quod posset carere illo, & quod illa carentia esset imperfectio: quod valde considerandum est ad soluendum quomodo absque quaestione de nomine Filius aternus sit tam perfectus, quam Pater, & independens ab illo quantum ad dependentiam, quæ inuolueret imperfectiorem; & dico talem dependentiam, quia aliis, si quis vellet vocare dependentiam necessariam indigentiam, quam habet Patris, posset dici dependere: sed talis dependentia non esset imperfecta.

8. *Obijcies primo*: Patres Græci dicunt Patrem æternum causam Filij: ergo non requiruntur omnes particulæ posite in prædicta descriptione ad describendam causam; nec debet excludi à ratione causæ Pater diuinus, vt hactenus supposuimus.

Respondeo explicando Patres Græcos, qui loquuntur de causa in latiori significatione, quam hic facimus, quatenus coincidit cum principio influente; non vero loquuntur de causa in strictiori acceptione, in qua hic agitur de ipsa; vnde distinguo consequens: ad describendam causam in latiori illa acceptione, concedo consequentiam quoad vtramque partem: in strictiori acceptione, in qua accipitur causa hic, nego consequentiam.

Obijcies secundo. Finis est vera causa: sed non influit in aliud, quoties causat: ergo male dicitur quod causa debeat influere in aliud. Probatum minor, quia aliquando causat semetipsum, vt cum actus bonus cognitus vt talis, ob intrinsecam sui bonitatem mouet voluntatem ad ponendum realiter à parte rei talem actum: ergo tum non influit in aliud à se, & tamen tum exercet rationem causæ finalis.

Respondetur hic breuiter negando minorem; ad cuius probationem dico, quod nunquam finis causat immediate semetipsum, nec actus bonus ob bonitatem suam causat seipsum aut mouet immediate ad productionem sui, sed immediate finis mouet ad amorem sui & mediante hoc amore mouet ad productionem sui, siue sine medijs, siue cum medijs, vnde sequitur manifeste quod semper causat aliud.

Cæteræ obiectiones quæ opponi possunt, tum ex explanatione causæ iam proposita, tum ex dictis circa aliorum definitiones facile solui possunt.

QVÆSTIO II.

De diuisione causæ in materialem, formalem, finalem, & efficientem.

Varie diuisiones causæ.

Quid prima causa.

Quid secunda.

Si diuissio in mediatam & immediatam.

9. **P**luribus modis potest diuidi causa vt sic, & quidem adæquate: nam in primis potest diuidi in primam & secundam, intelligendo per primam DEVM, qui quoniam & in sua entitate independens est ab vlla alia causa, & in operando etiam non habet talem dependentiam à causis alijs, quin multa operari possit absque vllius alterius causæ concursu, nempe Angelos, & omnes substantias simplices, & omnia accidentia absoluta, propterea merito prima causa vocari debet. Dixi autem multa non omnia, quia nullum compositum substantiale potest producere independentem à concursu causæ materialis & formalis, & secundum Thomistas nequit etiam producere se solo effectiue actus vitales absque concursu potentie vitalis.

Per causam vero secundam intelligi debet quælibet causa creata, quæ cum & in sua entitate, & etiam in operatione à Deo dependet sic, vt esse nequeat, nec operari nisi Deo causante, causa secunda merito appellari potest. Certum autem est, quod detur causa prima, & secunda in hac acceptione; & quod non detur vlla causa, quæ non sit prima vel secunda hoc modo: vnde hæc diuissio sine dubio est bona, & adæquata.

Et eodem modo patet esse bonam & adæquatam diuisionem causæ in mediatam & immediatam, intelligendo per causam immediatam illam, à qua immediate dependet effectus, sicut calor productus dependet à calore, qui ipsum immediate producit; per causam vero mediatam, illam, quæ non immediate effectum producit, sed produ-

cit tamen mediate vel immediate causam immediatam eius, sicut Adam est causa omnium hominum, & propterea vocatur primus parens noster, à quo omnes originem ducimus.

10. *Tertia diuissio* adæquata eius esse potest in causam intrinsecam, & extrinsecam. *Causa intrinseca* est, quæ essentialiter & intrinsece constituit, tanquam pars eius, sicut hominem constituit corpus, & anima: *Causa extrinseca* est, quæ non constituit intrinsece, vt ignis produciens alium ignem, & Deus respectu omnium Creaturarum, & vniuersaliter omnis causa efficiens, & finalis, & materialis etiam, in qua res producitur, sicut forma produciuntur in subiecto: vnde sola causa materialis & formalis, ex quibus res fit & componitur, sunt causæ intrinsecæ; cæteræ omnes extrinsecæ.

11. *Quarta diuissio* adæquata est in causam per se & per accidens. *Causa per se* est, quæ per se & ex natura sua habet virtutem productiuam effectus, sicut calidum potest producere calorem, & Musicus potest cantare. *Causa per accidens* est, quæ denominatur quidem producere effectum; sed ex se tamen non ordinatur ad talem effectum; sed casu quodam illam producit, ex eo quod reperiatur in ipso: alia virtus ordinata ad talem effectum: & sic Musicus dicitur edificare, si simul cum Musica habet virtutem edificatiuam; vel ex eo quod casu cum effectum, ad quem ordinatur, coniungatur alius effectus, ad quem non ordinatur ex se; sic fodiens terram ad seminandum, si cum fossione illa coniungatur per accidens inuentio thesauri, dicitur esse causa illius inuentiois.

12. *Quinta diuissio* potest esse in causam adæquatam seu totalem, & in inadæquatam, seu partialem. Totalis est, quæ se sola ponit effectum; partialis est quæ non nisi partialiter, & concurrente alia causa, ipsum ponit.

Sexta diuissio, adæquata etiam, est in principalem & instrumentalem, de qua diuisione per se postea agemus.

Sed omisiss his diuisionibus & alijs pluribus, circa quas non est controuersia vllius momenti, alia satis vulgaris est diuissio causæ vt sic in materialem, formalem, efficientem & finalem, & de hac diuisione per se hic agendum. Et quidem plures circa eam examinandæ sunt difficultates: prima an dentur huiusmodi causæ; secunda, an sint distinctæ rationis; tertia, an adæquate in illas diuidatur causa, vt sic: quarta, num requirantur in ordine ad omnem effectum: quinta, an sint species infimæ causæ vt sic, vel species subalterne: sexta, an diuissio sit vniuoci in vniuocata.

CONCLUSIO I.

13. *Bene & adæquate diuiditur causa vt sic superius descripta in materialem, formalem, finalem & efficientem.* Hæc conclusio satisfaciunt primis tribus difficultatibus, vt in quatuor primis Peripateticorum.

Probatum, quia dantur tales causæ, & sunt distinctæ rationis, & nulla causa assignari potest, quæ non sit aliqua ex illis: ergo recte & adæquate causa vt sic diuiditur in illas. Consequentia patet quia nihil aliud potest requiri ad hoc, quod diuidatur bene & adæquate in illa, quam quod ponitur in antecedente. Probatum antecedens quoad primam partem, nimirum quod dantur, quia ad compositum substantiale (quale dari supponimus ex argumentis, quibus probauimus materiam, & formam substantialem) producendum requiritur materia, & forma, vt est evidens, & illud quod producit materiam & formam, & vnit illas inter se, & illud etiam quod mouet ipsum ad eas producendas ac vniendas: sed quodlibet ex his influit esse in compositum eo modo, quo influit esse spectat ad causam vt sic: ergo quodlibet ex ipsis est causa. Sed vnum ex ipsis est, quod vocatur causa materialis, nempe materia: alterum formalis, nempe forma: tertium efficiens, nempe quod producit materiam ac formam, easque vnit: quartum finalis, nempe quod mouet efficiens ad eas vniendas: ergo re vera dantur illæ quatuor causæ.

14. *Deinde*, quando producit calor in subiecto cum dependat à subiecto, certum est, quod subiectum concurrat ad eius productionem, & quod præter subiectum concurrat etiam Deus, qui vel se solo, vel cum causa secunda producit calorem illum; & præterea illud à quo mouetur Deus ad illum producendum: sed subiectum vocatur materialis; Deus causa efficiens; illud, à quo mouetur, causa finalis, ergo dantur illæ tres causæ: sed non minus certum est quod calor ille productus sit causa formaliter constituens subiectum, in quo producit, album: ergo etiam datur quarta causa.

Probatur secunda pars quod sint distinctæ rationis in esse causæ; quia diuersissimo modo concurrunt, materia enim concurret recipiendo; forma informando aut inhærendo; finis mouendo & excitando efficiens; ipsum efficiens dando esse, nec informando, nec recipiendo, nec mouendo aliud, quatenus est efficiens; unde etiam compositum dicitur fieri ex materia; per formam; ab efficiente; & propter finem; non autem dicitur fieri propter efficiens; nec à fine; nec propter materiam aut formam; nec à materia aut à forma; nec per materiam; quæ diuersitas modi loquendi de ipsis arguit diuersum modum causandi. Cur enim, si eodem modo causarent à parte rei, non diceretur æque quod fieret compositum propter efficiens tam bene ac ab efficiente?

Probatur denique tertia pars de adæquatione, quia non potest assignari vlla causa in particulari, quæ non habet aliquam ex his rationibus, & consequenter, quæ non sit aliqua ex his quatuor causis: ergo causa vt sic adæquate diuiditur in illas.

15. *Obijciens primo*: nec forma nec materia est æque perfecta, aut perfectior toto: sed causa debet esse perfectior vel æque perfecta ac effectus: ergo nec materia, nec forma est causa totius, & consequenter non datur causa materialis, vel formalis.

Respondetur distinguendo minorem: causa totalis, transeat, causa partialis, nego minorem. Et similiter distinguo primum consequens: causa partialis, nego; totalis, concedo; & nego secundam consequentiam.

Obijciens secundo. Si forma esset causa, deberet esse causa generationis: sed nequit esse causa generationis, quia est effectus eius, & idem nequit esse effectus & causa eiusdem actionis: ergo non est causa.

Respondetur negando maiorem: est enim causa formalis intrinseca compositi, & extrinseca materiæ, & est terminus actionis, per quam educitur; & consequenter generationis, si generatio coincidat cum illa actione.

Obijciens tertio efficiens non debet moueri à fine, quæ ex natura sua determinatur ad agendum, quando applicatur, absque vllatrali motione, vt patet de igne: ergo non datur causa finalis.

Respondetur distinguendo antecedens: efficiens, quod est naturaliter agens, qualis est ignis, concedo: efficiens, quod est agens à proposito, nego antecedens & consequentiam: quia vt detur causa finalis, sufficit quod detur respectu alius efficiens, nec requiritur, quod detur respectu omnis, quamuis etiam reuera detur respectu omnis, mediate vel immediate.

16. *Obijciens quarto*: finis non potest esse causa realis, quandoquidem causat, quando non existit: sed causa vt sic est causa realis: ergo male diuiditur in prædictas quatuor causas.

Respondetur ad hanc obiectionem inferius in disputatione de Fine.

Obijciens quinto. Vnio est causa compositi, & approximatio ignis, verbi gratia, ad lignum est causa combustionis: sed nec unio, nec approximatio est causa vlla ex illis quatuor: ergo dantur alia causæ, & consequenter diuisio hæc non est adæquata.

Respondetur negando maiorem: non enim influunt esse in compositum, nec in formam aut materiam; sed sunt solummodo conditiones, sine quibus non, & necessariae solummodo ad applicationem causarum, quæ influunt: unio quidem ad applicandam materiam formæ, & appro-

ximatio ad applicandum efficiens subiecto, ex quo forma est educenda, aut in quo est inducenda; nec vllus inquam dicit unionem causare compositum, aut approximationem causare calorem; quod si essent causæ, cur id non diceretur?

Obijciens sexto, datur causa exemplaris, & causa instrumentalis, vt postea ostendetur, sed natura est aliqua ex his quatuor: ergo dantur plures causæ, & consequenter diuisio non est adæquata.

Respondetur negando minorem; ad quam autem ex his spectent, dicitur inferius agendo de causa exemplari & instrumentali.

CONCLUSIO II.

17. *Hæc diuisio est tam vniuoca, quam diuisio vniuersalis metaphysici in quinque vniuersalia metaphysica; & etiā quam diuisio efficientis vt sic in omnem causam efficientem particularem.* Hæc hoc modo proposita est nullius, quod sciam, sed vix potest esse in controuersia.

An hæc diuisio sit vniuoca.

Probatur, quia eodem modo potest ab his quatuor causis abstrahi ratio causæ vt sic superius descripta, quo ab omnibus efficientibus ratio causæ efficientis vt sic, & ab omnibus vniuersalibus metaphysicis ratio vniuersalis metaphysici vt sic: ergo diuisio, quæ diuiditur causæ vt sic in illas, erit tam vniuoca, quam illæ alia diuisiones.

Ratio autem cur non dicam, quod sit simpliciter vniuoca, sed cum illa restrictione, est, quia eadem argumenta possent virgeri contra vniuocationem huius, quæ vrgitur contra vniuocationem aliarum illarum diuisionum, de quibus in Logica quantum ad diuisionem vniuersalem vt sic actum est: & quia accidentia diuersorum prædicamentorum possunt habere rationem causæ non minus, quam substantia, & tamen supponuntur non conuenire vniuocæ in ratione vlla cum substantia præter rationem entis finiti; ex qua tamen ratione non habent rationem causæ.

CONCLUSIO III.

18. *Hæc diuisio est in membra ita realiter distincta, vt reuera dentur de facto quatuor causæ vnius effectus realiter distinctæ, quarum vna sit materialis, altera formalis, altera efficiens, altera finalis, non vero est in membra ita realiter distincta, quin eadem res realiter posset habere rationem finalis, materialis, efficientis, & formalis etiam.* Hæc in re debet esse communis: & patet prima pars, quia materia, forma, efficiens, & finis hominis sunt realiter distinctæ, vt est extra controuersiam. Patet etiam secunda pars, quia calor habet rationem causæ efficientis respectu alterius caloris, quem produceret; materialis respectu relationum in ipsomet subiectarum, formæ respectu sui subiecti, & finis respectu mediorum, quæ ad ipsum producendum essent applicata.

Est diuisio in membra realiter distincta.

CONCLUSIO IV.

19. *Non requiruntur quatuor illæ causæ in ordine ad omnem effectum; requiruntur tamen in ordine ad omnem effectum compositum, & in ordine ad omnem formam eductum.* Hæc etiam debet esse communis, & patet prima pars; quia in ordine ad effectus simplices, quæ non sunt formæ informantes aut inhærentes, vt sunt Angeli, & materia prima, non requiritur causa materialis, nec formalis necessario, nec in ordine ad formas creatas, vt est anima rationalis, requiritur causa materialis, saltem à qua dependeat quantum ad existendum.

Non requiritur in ordine ad omnem effectum.

Probatur secunda pars ex probatione primæ conclusionis.

CONCLUSIO V.

20. *Illæ membra sunt species subalterna, non infima causæ vt sic.* Hæc quoque est communis; & probatur quia quodlibet ex ipsis habet plures species sub se; nam efficiens diuiditur tanquam in duas species in causam efficientem naturalem ac liberam; materia diuiditur tanquam

Membra illius diuisionis sunt species subalterne non infime.

in duas species, in materiam ex qua, & in materiam in qua: forma diuiditur tanquam in duas species, in formam informantem & inhaerentem: & finis diuiditur tanquam in duas species, in finem cui & finem cuius, de quibus postea.

Solet hic examinari, quid sit causalitas causae vt sic. Sed resolutio patebit ex dicendis de causalitatibus causarum in particulari. Solet praeterea examinari, an causa debeat esse prior ac perfectior quam effectus: sed hoc etiam examinandum refero ad disputationem de comparatione causarum inter se, & cum effectibus.

QVÆSTIO III.

Quid sit causalitas causae materialis ac formalis.

Quid causalitas.

21. **P**er causalitatem intelligitur hic illud, à quo res formaliter denominatur causa; vnde quia res denominatur causa dupliciter, nempe in actu primo, & in actu secundo, duplex considerari potest causalitas: vna in actu primo, à qua scilicet res denominatur causa in actu primo, qualiter denominari potest, etiam si nihil actu causet, modo habeat virtutem, qua possit causare. Altera in actu secundo, à qua formaliter denominatur causa actu causare, qualem denominationem nequit habere, quin habeat effectum in actu existentem. Non agimus autem hic de causalitate in actu primo, quia non est difficultas vilius momenti, quin consistat in ipsamet entitate materiae & formae, & in respectu aptitudinis identificato ipsis realiter, quem dicunt, quatenus sunt aptae & potentes producere illos effectus, respectu quorum dicuntur causae.

Quid in actu secundo.

Agitur ergo hic praecipue de causalitate in actu secundo, à qua denominatur haec causa causare actum suos effectus. Vt autem, in quoniam consistit haec causalitas, melius declaratur, praemittendum est quosnam effectus habeat causa materialis; & quos formalis: circa quod non video aliam posse esse controuersiam, quam de nomine, suppositis iis, quae diximus libro primo de educatione formarum ex potentia materiae, ac subiecti.

Quos effectus habet materialis causa.

22. Itaque in primis effectus principalissimus tam materiae, quam formae est compositum substantiale ex illis resultans, maxime si sit quid distinctum realiter ab illis simul sumptis & vnitis, vt docuimus supra cum Scotistis communiter.

Deinde, alius effectus materiae est quaecumque forma ex ipsius potentiaeducta, saltem quae non sit causalitas eius. Omnis enim talis dependet à materia, tanquam à priori in esse, & conseruari; nec aliquid impedit, quo minus dicatur effectus eius tam bene, quam efficientis; cum non minus ab ea quam ab efficiente dependeat dependentia etiam à priori. Quamuis autem hoc ita sit, posset adhuc tamen dubitari, an hic effectus competat materiae, quia materia est formaliter; nam quemadmodum intellectus habet virtutem effectiuam intellectionis in se ipso, & exercet circa intellectionem rationem causae materialis & efficientis; ita posset quis imaginari, quod materia exerceret ratione causae materialis circa illas formas, eas recipiendo praecise, quemadmodum recipit animam rationalem, & praeterea rationem causae efficientis, in eas influendo, & quod sint effectus ipsius sub hac ratione, non sub primis quod si ita esset, non essent huiusmodi formae effectus materiae, quia causa materialis est, sed qua causa efficiens.

Formaeeductae sunt effectus causae materialis vt materialis & non vt efficientis.

Verum tenendum est cum communi sententia, quod hi effectus sunt effectus materiae, quia materia est, non qua efficiens, tum quia harum formarum dantur aliae causae effectivae sufficientes, absque eo, quod materia effectiue ad illas concurrat, quales non dantur respectu intellectionis, vt suo loco ostendetur: tum quia nemo dicit materiam efficere etiam partialiter illas formas, quod tamen dici deberet, si ab ipsa dependere, tanquam ab efficiente, sicut dicitur quod intellectus producat in se intellectionem; & est verisimile, quod propterea iste modus loquendi non sit in vsu, quia omnes Philosophi supposuerunt non adesse talem concursum effectiuum in materia ad illas formas: vnde quamuis non posset ostendi aliquo efficaci argumento, quod non sit talis concursus, tamen quia etiam

nec potest ostendi quod sit, melius tenetur communis sententia, & accommodatur res ipsa communi modo loquendi, praesertim cum possit forma habere dependentiam in fieri, & conseruari à materia absque influxu effectiuo materiae.

23. Alius effectus materiae recensetur vnio ipsius ad formam, & generatio passiva seu mutatio ipsius ad formam: & quidem *Mastrius disp. 5. q. 3. a. 2.* videtur supponere vnionem illam, & generationem hanc esse diuersos effectus. Sed imprimis quantum ad hoc omnino fallitur, per hoc enim formaliter, quod vnatur materia formae, quamuis nihil profus aliud in illa poneretur, mutaretur à priuatione ad formam; nec vllum profus est indicium distinctionis realis inter generationem illam, & vnionem.

An vnio sit effectus materiae.

Quantum ad illud, an vnio sit effectus materiae, est quaestio de nomine, & dicendum est quod si sit causalitas qua mediante causet, melius dicitur non esse effectum ipsius, sicut nec actio dicitur esse effectus causae efficientis. Si vero non sit causalitas eius, potest vocari effectus eius non minus, quam aliae relationes, quae non sunt causalitates, & habent pro causa materiali suum subiectum.

Quinam sit effectus formae.

24. Quantum autem ad effectus formae alios à composito, quod supra dixi esse effectum eius, assignatur communiter pro effectu informatio seu actualitatio materiae, seu communicatio sui ipsius materiae. Verum si rem ipsam explicemus, in hac actualtatione nihil reperitur, quod sit aliud à forma, & respectu cuius forma potest habere rationem causae secundum definitionem praemissam causae, praeter ipsam vnionem, qua vnitur materiae. Certum autem est, quod non sit causa formalis istius vnionis, imo potius est causa materialis eius, si tamen sit causa eius villo modo. Dicitur tamen causa formalis extrinseca materiae, quia est forma adueniens materiae, & non conclusa essentialiter in ratione materiae, & dicitur esse causa formalis, cur materia dicatur actualtata, & determinata, ac informata, quia non ab alio habet formaliter has denominationes, quam à forma sibi vnita; de quo quantum ad rem non potest esse difficultas, parum autem curandum est de nomine. Alter effectus formae est expulsio alterius formae secum impossibilis, vt expulsio formae ligni per formam ignis, expulsio frigoris per calorem. Et hic effectus vocatur effectus secundarius formae, tum quia per accidens est ad introductionem formae, quod praecesserit alia forma impossibilis, quae expelleretur, tum quia reuera forma primaria ordinatur ad informandum subiectum, & constituendum totum, non vero ad expellendam aliam formam, quia natura per se non intendit destructionem rerum; sed mere per accidens illam medietur.

Prima sententia.

25. His suppositis de materiae & formae effectibus, communior sententia videtur esse quod causalitas materiae circa formameductam & compositum sit vnio, qua mediante vnitur formae tali vnione, vt forma ab illa dependeat in fieri & conseruari, & quod causalitas formae circa compositum sit etiam vnio, qua forma vnitur materiae informando ipsam. Ita *Suarez disp. 15. sect. 4.* *Ruius hic tract. de materiali causa. Auerfa q. 12. sect. 3.*

Secunda sententia.

Hurtadus vero hic disp. 5. sect. 3. & Amicus tract. 10. q. 4. dub. 1. concedunt vnionem esse causalitatem, tam materiae, quam formae circa compositum; negant vero vnionem materiae esse causalitatem eius respectu formae, & dicunt hanc causalitatem consistere in receptione actionis agentis.

Fonseca 5. Met. c. 2. q. 3. sect. 2. assignat duplicem causalitatem materiae circa formam, vniam, qua recipit, & hanc exercet etiam erga animam rationalem; alteram, qua sustentat, quam exercet circa formaseductas solummodo.

Tertia sententia.

Complutenses tenent causalitatem materiae in fieri, esse generationem receptam in materia; causalitatem vero in facto esse, esse vnionem substantialem, prout recipitur in materia.

Quarta sententia.

Mastrius dicit causalitatem materiae non consistere in receptione actionis agentis, aut in vnione; sed in concursueductiuo explicato per habitudinem, ex quo aliud educitur.

Alij

Alij Scotistæ putant necessarium esse influxum aliquem materiæ in formam eductam, qui influxus antecedit, saltem naturæ, vnionem.

CONCLUSIO I.

26. Causalitas materiæ in actu secundo respectu cuiuscumque formæ absolute siue substantialis siue accidentalis distinguitur realiter & a materiæ & a forma, & etiam ab aliqua vnione etiam simul sumptis. Hæc est iuxta principia communia Scotistarum ac ipsius Scoti, quibus probat relationes extrinsecas aduenientes dari. Eam etiam ex recentioribus tenet Arriaga disp. 8. sect. 2.

Probat manifeste, quia posset materiæ, & forma quæcumque talis esse vnita absque eo, quod materiæ causaret actu formam, sicut de facto est vnita animæ, quam tamen non causat: ergo id, à quo habet actualiter causare formam, & id à quo formaliter forma habet dependere à materiæ, est distinctum realiter ab omnibus illis simul sumptis, & à fortiori, à quolibet ex illis in particulari seorsim sumpto.

Confirmatur efficaciter, quia potest Deus producere formam & postea eam vnire materiæ tali vnione, qualis vnitur anima rationalis corpori: sed tum materiæ non causaret illam formam, cum non dependeret illa forma à materiæ, neque in fieri, neque in conservari: ergo possumus omnia illa stare absque causalitate materiæ. Maior pareretur quia in hoc nulla est repugnantia. Dixi in conclusione, ab aliqua vnione, & non ab omni propter dicenda conclusionem sequenti.

CONCLUSIO II.

27. Non datur aliquid positum realiter distinctum à materiæ, & vnione, quæ vnitur formæ, per quod causet actu formam aut compositum siue in fieri, siue in facto esse. Hæc est iuxta primam, & communior sententiam contra reliquos dicendi modos aliorum authorum supra specificatos.

Probat, quia si poneretur vnio talis, à qua dependeret in esse, & fieri forma, in materiæ, secluso quocumque alio, causaret formam, & compositum, forma enim necessario dependeret tum à materiæ, mediante tali vnione & compositum necessario resularet ex materiæ, & forma sic vnitis: ergo nihil aliud realiter distinctum à materiæ, & tali vnione datur in materiæ, per quod causet actu aut formam, aut compositum in fieri aut facto esse.

Confirmatur, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas ponendi aliquid distinctum realiter à materiæ, & vnione, quod dicatur actu causare formam aut compositum in fieri aut facto esse.

Dices necessitatem esse ex eo, quod compositum & forma sunt realiter distincta, & consequenter, quod debent produci per actiones seu causalitates realiter distinctas.

Respondeo negando sequelam; nam quamvis effectus disparati realiter distincti exigant causalitates realiter distinctas, tamen quando effectus ita sunt subordinati, vt ad productionem vnus necessario sequatur alterum ita, vt de potentia absoluta nequeat produci primum, quin secundum producat, causalitas vna realis sufficit ad vtrumque in eadē causâ, ita autē contingit in proposito: ergo ex hoc capite non sunt multiplicandæ causalitates.

Confirmatur quia ideo potissimum colligimus causalitatem causæ efficientis esse distinctam realiter ab applicatione ad passum, & vnionem formæ ac materiæ esse distinctam realiter ab instantia ac dispositionibus materiæ, quia potest esse causa efficiens applicata absque causalitate; & materiæ indistans à forma ac disposita ad ipsam absque vnione: ergo cum vnio nequeat esse absque causalitate materiæ circa compositum, non debet dici quod causalitas eius circa compositum sit distincta ab vnione.

28. Probat secundum. Si esset aliquid distinctum à materiæ, & vnione in materiæ, per quod causaret formam ac

compositum, vt distingueretur realiter ab vnione, deberet posse separari ab vnione, aut è contra vnio ab ipso; vel deberet produci ab vnione, aut producere vnionem; vel deberet subiectari in subiecto realiter distincto à subiecto vnionis: quia nullum est indicium distinctionis realis præter alterum ex tribus: sed illud non subiectaretur in diuerso, sed in eodem subiecto cum vnione, nempe in materiæ primæ; nec produceret, aut esset productio vnionis, aut è contra: id enim gratis assereretur; nec posset esse absque vnione, aut vnio absque illo: ergo non distingueretur realiter ab vnione.

29. Probat tertio specialiter contra illos, qui ponunt influxum aliquem præuium materiæ in formam antecederent ad vnionem, quia ille influxus non posset distinguui ab influxu efficienti, quem habet intellectus in ordine ad intellectionem, quam in seipso producit: ergo non deberet dici influxus causæ materialis, sed efficientis, & consequenter nequit esse causalitas causæ materialis.

Adde, non posse dari influxum terminatum ad formam eductam antequam vnatur, quia alias forma educta non educeretur, sed crearetur, quod est absurdum: nam per hoc dicitur anima rationalis creari, quod priusquam intelligatur induci in subiectum, aut vniri ipsi, intelligatur produci ac terminare influxum causæ sui productivæ.

Hinc sequitur, per idem realiter causari formam & compositum in fieri & facto esse, & consequenter si per generationem intelligant Complutenses aliquid distinctum ab vnione, male eos dicere quod generatio sit causalitas materiæ in fieri, & vnio in facto esse.

Sequitur secundo, si per concursum eductum explicatum per habitudinem ex quo aliquid, intelligat Magistrus aliquem concursum actualem, qui dicat aliquid positum reale distinctum à materiæ & vnione, male cum sentire, dum multiplicat entia sine necessitate.

Sequitur tertio, male dicere eundem q. 4. a. 1. quod forma existat antequam sit intime præsens materiæ; nam non existit, nisi per vnionem; & pro quocumque instanti temporis aut naturæ est vnio, forma est intime præsens materiæ, nec existentia realis præsupponitur præsentia, quando per præsentiam ponitur ipsa res existens.

30. Obijciens primo authoritatem Scoti qui in 4. disp. 13. q. 1. cum enumerasset plures respectus agentis, qui interueniunt, dum producit aliquod compositum, nempe respectum transmutationis ad subiectum, in quo producit formam; respectum eductionis ad formam, quæ educitur; respectum productionis ad compositum, quod producit; dicit respectum eductionis esse intrinsecus aduenientem: ergo non potest consistere in vnione materiæ, quia hæc est extrinsecus adueniens.

Respondeo Scotum ibi non facere mentionem vllam de causalitate materiæ, sed solum de causalitate & actione agentis: vnde quamvis eductio actiua pertinet ad agens esset relatio intrinsecus adueniens, tamen eductio materialis, qua materiæ influit in formam, non debet esse talis.

Dices esse eandem rationem de vtraque eductione: ergo vel vtraque, vel neutra est talis respectus.

Respondeo conformiter ad ea, quæ dixi in Logica disputatione de actione, Scotum, quando vocat eductionem respectum intrinsecus aduenientem, non loqui de eductione, à qua habet res educi in fieri, sed de alia eductione, quæ sequitur ad illam necessario iuxta communior sententiam: illa autem prima eductio, à qua causa denominatur actualiter educere, est respectus extrinsecus adueniens, & coincidet cum actione transmutatiua, quam expresse vocat Doctor relationem extrinsecus aduenientem: vnde eductio, qua materiæ dicitur materialiter causare formam, eodem modo potest esse respectus extrinsecus adueniens, & consequenter potest consistere in vnione, non obstante hac difficultate.

31. Obijciens secundo, potest dari vnio materiæ ad formam, quæ educitur, absque eo, quod educatur illa forma, aut quod materiæ causet ipsam materialiter, sicut datur de facto vnio corporis ad animam rationalem absque eductione animæ, aut causatione materiali eius: ergo

Materiam non habet influxum præuium ad vnionem in for-
mam.

Causalitas materiæ circa formam, & compositum non est distincta ab vnione.

causalitas materiæ aliquid addit supra entitatem materiæ, ac vnionem. Probatur antecedens, quia, si Deus produceret extra subiectum formam ignis, & eam postea vniret materiæ; non educeretur ex potentia materiæ, nec consequenter materiæ magis causeret ipsam, quam de facto causeret animam rationalem, & tamen vniretur ipsi, & faceret eum ipsa vnum per se, non minus quam de facto facit; nameductio impertinenter se habet ad constituendum vnum per se cum materiæ.

Confirmatur, quia ex vi vnionis forma non dicitur produci, aut recipere esse, sed supponitur prius habere esse, antequam sit vnio: ergo aliquid aliud debet superaddi, per quod materiæ dicatur dare esse formæ.

Confirmatur secundo, quia recipiens, quatenus tale, non dat esse recepto: sed materiæ quatenus habens vnionem ad formam est recipiens: ergo vt sic non dat esse formæ, quam recipit, & consequenter debet superaddi ipsi aliquid aliud, per quod det esse formæ.

Respondetur distinguendo antecedens: vnio talis, à qua dependeat forma in esse & fieri, nego: à qua non dependeat, nec in esse, nec in fieri, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Ad primam confirmationem respondeo negando antecedens, loquendo de vnione, quæ de facto est ad formas eductas.

Ad secundam confirmationem, respondeo etiam negando maiorem, loquendo de recipiente tali modo particulari, quale recipiens est de facto materiæ respectu formarum, quæ ex ipsa educuntur.

32. *Obiicitur tertio*, prius est formam existere, quam habere vnionem ad materiæ: sed non habet existere causaliter à materiæ in illo priori absque causalitate distincta à materiæ, nec illa causalitas distincta potest esse vnio materiæ, quia vnio materiæ non præcedit vnionem formæ, vnio autem formæ non est in illo priori: ergo aliquid aliud distinctum à materiæ & vnione superaddi debet. Probat maior, quia omne subiectum est prius natura existens, quam forma in ipso subiectata: sed vnio formæ est forma subiectata in forma, tanquam in subiecto: ergo forma debet prius existere, quam sit vnio.

Confirmatur primo, quia potest intelligi forma existere sine eo, quod intelligatur vnio eius; non vero potest intelligi vnio eius, quin intelligatur existere: ergo prius natura est formam existere, quam esse vnitam.

Confirmatur secundo, quia sicut modus essendi per se competit materiæ: ita modus essendi in alio competit formæ: ergo sicut materiæ est prius existens, quam competit ipsi modus essendi per se: ita forma debet esse prius existens, quam competit ipsi modus essendi in alio, & consequenter quam competit ipsi vnio, per quam formaliter habet esse in alio.

Confirmatur tertio, quia vnio formæ habet pro causa materiali formam, & dependet à forma in fieri & conseruari magis, quam ipsa forma dependet à materiæ, quandoquidem forma possit esse absque materiæ supernaturaliter; vnio vero nec supernaturaliter quidem potest esse absque forma: ergo forma præsupponitur vnioni; & ergo vltimè vnio non potest esse ratio ponendi formam, quia aliàs daretur mutua causalitas in causis realiter agentibus, quod est contra Scotistas & veritatem, vt videbimus postea.

33. *Respondetur* negando maiorem, & distinguendo maiorem probationis: si forma illa non sit ratio ponendi ipsum existens, concedo; si sit, nego; & concessa minore, nego consequentiam, quia vnio est ratio ponendi formam in esse existentie, quoties educitur.

Ad primam confirmationem, respondeo distinguendo antecedens: potest intelligi forma existere absque vnione dependenter à causa materiali, nego; independenter à tali causa, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Ad secundam confirmationem, respondeo negando antecedens, quia modus essendi per se identificatur materiæ, & est inseparabilis ab ipsa: modus autem essendi in alio non identificatur formæ: potest enim forma esse absque

ullo subiecto de potentia absoluta, & consequenter absque modo essendi in alio.

Deinde falsum est suppositum consequentis, nempe, quod modus essendi per se competit materiæ post existentiam: est enim vel de essentia eius, vel saltem proprietas ipsius, & consequenter præsupponitur potius existentie, quam postponitur.

Dices, modus essendi sub forma tam naturaliter competit materiæ, quam modus essendi in materiæ competit formæ, & est etiam æque inseparabilis ab ipsa: ergo sicut ille modus non est causalitas, per quam ponitur materiæ: ita neque vnio formæ est causalitas, per quam ponitur forma.

Respondeo, negando consequentiam, quia supponuntur ad modum illum materiæ principia, & causalitates sufficientes ad eius productionem, & consequenter non debet dici produci per illum modum; antecedenter vero ad vnionem, non supponitur causalitas sufficiens, per quam producat formam, quia aliàs crearetur & non educeretur; vnde potest dici produci per vnionem, tanquam per causalitatem: adde ab extrinseco provenire, quod necessario materiæ habeat illum modum, & non ex indigentia ipsiusmet materiæ in ordine ad habendum suam existentiam propriam, vt patet ex dictis supra disp. 3. n. 59. fecus autem est de forma.

34. *Ad tertiam confirmationem*, quæ longe certe difficilior est, respondeo primo, nisi posset solui commode, potius propter eam dici debere, quod non detur duplex vnio inter materiæ, & formam, sed vniam sufficere subiectatam in materiæ; quàm quod aliquid aliud præter vnionem ponendum sit in materiæ, per quod causet formam. Et quamuis superius dixerimus dari duplicem vnionem, hoc tamen dictum est ex suppositione quod hæc difficultas solui possit; vnde si non possit solui commode, oppositum esset tenendum, & hæc ipsa ratio posset assignari, quare vnio non deberet poni ex parte formæ, licet poneretur ex parte materiæ: quod sincere insinuat placuit pro veritate examinanda.

Respondeo secundo, distinguendo antecedens pro vtraque parte, pro prima quidem sic; vnio habet pro causa materiali proprie dicta formam, hoc est, pro causa influente in vnionem materialiter, nego; pro causa materiali improprie dicta, hoc est pro causa, in qua producit absque influxu, concedo antecedens. Pro secunda parte sic: magis dependet à formâ, tanquam ab influente, nego; tanquam ab aliquo cum quo habet maiorem connexionem, concedo antecedens, & nego consequentiam primam: secunda autem habet connexionem cum prima. Itaque quemadmodum relatio actionis subiectata secundum nos in agente, habet tam necessariam connexionem cum termino, vt non possit esse absque termino, & tamen non præsupponit terminum, nec dependet ab ipso, tanquam à priori, quia est ratio ponendi terminum: ita vnio formæ, licet habeat tam necessariam connexionem cum forma, vt nequeat esse absque forma, tamen non præsupponit formam nec dependet à forma tanquam à priori, sed potius forma dependet ab ipsa, tanquam à priori.

35. *Dices*: ergo creatur; quia omnis forma, quæ non educitur, nec dependet à subiecto tanquam à priori, creatur: ergo vnio illa creatur, quod est absurdum.

Respondeo negando consequentiam, & distinguendo probationem, si non sit essentialis ratio ponendi subiectum, transeat; si sit, nego.

Dices iterum (quidquid sit de creatione, in qua posset esse questio de nomine) quantum ad rem ipsam, si posset produci vnio formæ independenter à materiæ influxu, non esse vllum inconueniens, quia ceteræ formæ possint similiter produci, & sic vniuersim tolleretur influxus causæ materialis. Nec refert, quod sit hæc disparitas, quod vnio illa sit causalitas passiva, ceteræ autem formæ non sint tales, nam adhuc restat ostendendum, cur si causa secunda potest producere formam, quæ est causalitas absque influxu subiecti aut causæ materialis, non possit similiter absque tali influxu producere formam,

formam, quæ non est causalitas; nam ex eo, quod sit causalitas non sequitur aliud, quam quod sit ratio producendi, quod reuera non videtur facere ad propositum.

Sunt aliqui, etiam Scotistæ, qui propter hanc difficultatem putant admittendam mutuum causalitatem realem, & physicam, saltem inter causalitatem passiuam, qua producit effectus, & ipsum effectum, & consequenter inter vnionem subiectatam in forma, si sit causalitas formæ, & ipsam formam: sed hic suppono, nihil absurdius quam hoc admitti posse in doctrina Scoti.

Itaque respondeo negando sequelam, & dando disparitatem inter vnionem formæ & alias formas, quæ non sunt causalitates, præsertim absolutas, quod possit dari ratio, cur vnio illa nequeat produci nisi in subiecto, absque influxu subiecti, nimirum quia ex natura sua essentialiter est determinatio subiecti talis, & consequenter, quamuis subiectum non influat in ipsum, debet produci in subiecto: non potest autem dari ratio, cur aliæ formæ absolutæ nequeant produci, nisi in subiecto, si subiectum non debeat influere in ipsas, quandoquidem non sunt essentialiter determinationes subiecti, vt patet ex eo, quod possint existere absque omni subiecto supernaturaliter: ergo non eodem modo de ipsis quantum ad hoc discurrendum, ac de vnione.

Dices: ergo saltem posset dici quod vt vnio illa non producit dependenter à subiecto, tanquam à causa influente, eodem modo aliæ relationes non educerentur à suis subiectis.

Respondeo primo, hoc potius concedendum, quam negandam hanc doctrinam.

Respondeo secundo, negando consequentiam; quia est ratio specialis, ob quam hæc vnio non posset causari materialiter, quæ non est de aliis relationibus, vnde non est eodem modo discurrendum de illis.

36. *Obiicit quarto*: vnio materiæ causatur à causa efficiente: ergo non est causalitas materiæ, quia causalitas vnus non causatur per aliam causam.

Respondetur primo, negando consequentiam, quamuis enim causalitas efficientis nequeat causari per aliud efficiens præsertim creatum, tamen non video ex quo capite esset inconueniens, quod causalitas materiæ posset produci per causam efficientem, quæ educit formam ex potentia materiæ.

Respondetur secundo negando antecedens: neque enim illa vnio producit per efficiens sic, vt efficiens habeat actionem aliquam propriam immediate terminatam ad illam; sed eo modo quo actio efficientis emanat ab ipso immediate, quando applicatur sufficienter materiæ, ac ad sunt cæteræ dispositiones requisitæ: ita etiam causalitas materiæ, ac consequenter illa vnio, si sit causalitas eius, emanat ab ipso quando applicatur efficienti, & dependet quidem illa causalitas ab efficiente in hoc sensu, quod non emanaret, nisi adesset efficiens, quemadmodum causalitas efficientis dependet à materia; neutra vero causalitas dependet ab altera causa tanquam ab influente in illam, & in hoc consistit subordinatio illarum causarum, quod neutra possit habere actionem suam, nisi applicetur altera.

37. *Obiicit quinto*, non remanet causalitas materiæ, nisi quamdiu remanet causalitas efficientis, sed materia cum vnione manet desinente causalitate efficientis, materia enim ignis producti ab alio manet vnita formæ istius ignis, etiam destructo igne producente: ergo causalitas materiæ dicit aliquid ultra materiam, & illam vnionem.

Confirmatur, quia causalitas materiæ in fieri non manet in facto esse, sed materia & vnio manent in facto esse: ergo causalitas materiæ, in fieri saltem, dicit aliquid distinctum à materia & vnione. Probatur maior quia causalitas in fieri solum manet pro instanti, pro quo verum est dicere, iam forma & compositum est, & immediate ante non fuit: sed hoc non est verum in facto esse: ergo.

Respondetur distinguendo maiorem; non remanet causalitas materiæ, nisi quamdiu remanet illa ipsa causalitas efficientis, quod primo cum ea concurrebat ad productio-

nem formæ & compositi, nego maiorem: nisi quamdiu manet illa causalitas, vel aliqua alia æquiualens, concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Itaque quemadmodum illa forma & compositum manet semper, dum remanet eadem materia sub forma, quamuis varietur causa productiua: ita etiam potest manere eadem causalitas materialis circa ipsa, quamdiu manet eadem materia sub forma, quamuis variarentur causæ efficientes & suæ causalitates.

Ad confirmationem Respondeo etiam distinguendo maiorem, sub denominatione illa in fieri, concedo maiorem; secundum se sine illa denominatione, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens; dicit aliquid aliud, quod sit causalitas, aut quid posituum, nego consequentiam; dicit aliquid, quod requiritur ad illam denominationem in fieri, concedo consequentiam, sed hoc non in æiudicat conclusioni.

pr 38. *Ad probationem maioris*, distinguo similiter maiorem, sub illa denominatione in fieri, concedo maiorem; secundum se & sine illa denominatione, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens; sub denominatione illa in fieri, concedo, secundum se, nego consequentiam. Itaque eadem omnino est causalitas materiæ, quæ primo influat in formam & compositum, & quæ postea conseruat illa materialiter; & illa causalitas dicitur esse in fieri solummodo, quamdiu verum est dicere, iam est, & immediate ante non fuit, est autem in facto esse, quamdiu verum est dicere: iam est, & immediate ante fuit; vnde vt habeat denominationem in fieri, requiritur quidem aliquid ultra suam propriam entitatem, nempe negatio existentie ipsius pro tempore immediate præexistente; vt vero habeat denominationem causalitatis in facto esse, requiritur, quod existeret pro tempore vel instanti immediate præcedenti: sed nec negatio existentie ipsius pro tempore antecedenti est causalitas aut aliquid posituum; nec etiam existentia ipsius pro tempore antecedenti est causalitas quæ conseruat rem in facto esse, sed est conditio requisita vt sic conseruet: quod totum est conformae principiis eorum, qui tenent, actionem, & conseruationem non esse productiones realiter distinctas, quando eadem est causa, quæ producit & conseruat absque interruptione, de quo postea.

39. *Obiicit sexto ex Arriaga disputat. 4. numero 83*. compositum substantiale productum de nouo, verbi gratia ignis, est idem numero in primo instanti, ac in secundo & tertio: ergo vnio non est actio, quæ productum fuit; & consequenter distinguitur realiter vnio à causalitate, per quam producitur.

Probatur consequentia prima, quia actio non est in secundo instanti, posset enim definire causa productiua in secundo instanti, sine qua tamen actio conseruari non potest; sed si sit idem numero in primo, & secundo instanti, vnio debet esse in vtroque instanti: ergo actio & vnio distinguuntur. Probatur minor, quia vnio est de essentia istius compositi, ergo si vnio non sit eadem numero, compositum non erit idem numero.

Respondetur primo, concedendo primam consequentiam & distinguendo secundum consequens: ergo distinguitur à causalitate causa efficientis, concedo; causa materialis, nego: nec verum est, vt postea dicam, quod vtrique hæc causalitas sit eadem realiter, vt hic author videtur supponere.

Respondeo secundo, admittendo gratis quod causalitas efficientis & materialis esset eadem realiter, negando consequentiam: ad cuius probationem dico actionem causæ productiue, & causalitatem materiæ identificatam ipsi, non esse in secundo instanti, negando tamen quod non esset idem numero compositum, dicitur enim idem numero ex identitate numerica partium, quamuis variarentur vniones, quæ non sunt de essentia eius, sed conditiones sine qua non, aut causalitates quibus causatur. Quod si etiam vniones essent de essentia compositi, nõ esset absurdum dicere, quod non esset idem numero aut specie compositum, in quantum formaliter dicit vnionem. Vnde patet quam parum vigeat hæc obiectio.

CONCLUSIO II.

Vnio est
causalitas
materiæ.

40. *Ex suppositione quod nihil aliud requiratur, parum refert an dicatur vnio esse causalitas materiæ, an vero dicatur vnio esse conditio, qua posita, materia se ipsa causaret; melius autem videtur dicendum, quod ipsa vnio sit causalitas.* Hæc non proponitur ab ullo. Probatur prima pars, tum quia ad cognoscendum quomodo composita producantur, ac educantur formæ, sufficit cognoscere ex præcedenti conclusione, quod materia, posita tali vnione sola, causet, non curando an ipsa vnio sit formaliter causalitas nec ne, tum quia vtrumque potest probabiliter defendi.

Dices, non posse defendi probabiliter, quod causa efficiens se ipsa agat, & quod actio sit conditio, sine qua non ageret, non vero ratio formalis agendi: ergo similiter non potest defendi probabiliter, quod materia se ipsa causet, & quod vnio sit conditio prærequisita vt causet.

Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod omnis conditio sine qua non, habet aliquem proprium effectum physicum formalem, vt applicatio habet approximare agens passo, calor habet expellere frigus: actio vero non habet aliquem effectum alium formalem, quam facere causam agentem: ergo debet necessario dici esse causa formalis tribuens illam denominationem agenti, non vero conditio sine qua non requisita ad illam denominationem. Vnio vero materiæ habet alium effectum formalem, quam esse causalitatem, nimirum vnire materiam formæ, & consequenter potest dici esse conditio requisita vt causet materia se ipsa, totum saltem; & dico totum saltem, quia difficile est asserere quod sit conditio requisita vt causet materia formam, nam vt esset talis conditio, deberet præsupponi ad causalitatem: sed hoc implicat, quia non prius potest vniri forma educta materiæ, quam educatur, nec e contra, etiam nostro modo cognoscendi.

Probatur ergo secunda pars, tum propter hoc vltimum, quia non nisi difficillime capi potest, quomodo vnio posset esse conditio requisita ad causationem formæ, tum quia nulla est difficultas in eo quod dicatur ipsamet esse causalitas, ex suppositione quod nihil aliud assignari debeat, quod sit causalitas; tum denique quia quando causa potest existere in rerum natura simul cum effectu, sine eo quod causet illum, melius videtur asserere quod causet per aliquid distinctum realiter, nisi id sit inconueniens: sed materia potest existere simul cum forma, vt si separaretur ac conseruaretur forma sine subiecto, absque eo quod causet formam, nec est inconueniens, quod per aliquid distinctum realiter causet illam: ergo melius dicitur quod sic causet: sed nihil aliud distinctum realiter assignari potest, præter vnionem: ergo per vnionem debet dici causare formaliter, tanquam per causalitatem.

CONCLUSIO III.

Causalitas
formæ est
vnio.

41. *Causalitas, qua mediante forma communicatur materiæ, & producit partialiter compositum, non est aliud distinctum ab vnione: & idem est dicendum de causalitate, qua expellit aliam formam.* Hæc sequitur ex dictis, & est omnium, quantum ad primam, & tertiam partem.

Probatur, quantum ad omnes partes, quia, posita vnione sola, communicatur materiæ, & causatur compositum, & expellitur alia forma, si præfuerit: ergo causalitas ipsius, qua præstat omnes illos effectus, non est quid distinctum ab illa vnione.

Confirmatur per omnia, quæ diximus circa conclusionem primam, & secundam, quæ huc facile applicari poterunt.

Obiicies contra tertiam partem, potest esse vnio formæ ad materiam, absque eo quod expellatur alia forma, ergo causalitas, per quam expellit aliam formam, non potest esse illa vnio, quia causalitas nequit esse absque suo effectu.

42. *Respondeo* distinguendo antecedens: si præfuerit alia forma, nego: si non præfuerit, concedo, & nego consequentiam: ad cuius probationem dico quod causalitas possit esse absque effectu secundo, si ad illum effectum

necessario requiritur aliqua conditio separabilis à causalitate. Ita autem contingit in proposito: nam destructio alterius formæ est effectus secundarius vnionis formæ, & requirit, tanquam conditionem sine qua non præexistentiam formæ destruendæ; quæ conditio est separabilis ab vnione: vnde bene potest esse vnio absque illa destructione, quamuis sit causalitas formalis, per quam sit formaliter illa destructio.

Dices: etiam posset, de potetia saltem absoluta, esse forma vnita absque eo quod destruat altera forma, quamuis præxisteret, de potentia enim absoluta duæ formæ contrariæ possent esse simul: ergo vnio non est causalitas, per quam secundo expellatur forma præexistens.

Respondeo negando consequentiam, illa enim destructio non est effectus secundarius vnionis sic, vt debeat necessario sequi ad illam; sed est effectus secundarius connaturalis solummodo ipsius, sic scilicet, vt connaturaliter exigat expulsionem ipsius: potest autem Deus impedire huiusmodi effectum, quamuis ponatur causa formalis, & etiam causalitas sua.

43. *Dices* adhuc: non potest dici quod causa formalis iam non expellat, & postea expellat, nisi postea habeat causalitatem aliquam, quam ante non habuit: sed forma vnita potest esse absque eo, quod actu expellat aliam formam præexistentem, casu quo Deus veller miraculose aliam formam expellendam conseruare, & postea illa forma vnita posset expellere illam formam, casu quo Deus non veller suum miraculosum modum agendi continuare: ergo postea accederet formæ aliquid, per quod formaliter expelleret, quod antea non habebat, sed illud non est vnio, quia illa ante fuit: ergo aliquid aliud distinctum realiter.

Respondeo negando maiorem: sufficit enim quod postea Deus nolit conseruare formam destruendam, & hoc intuitu formæ vnite, sicut conseruauit ipsam in priori instanti vel tempore simul cum forma expellente.

44. *Obiicies secundo*, contra secundam partem ex *Mastrio d. 5. q. 4. ar. 2. Scotus* expresse ait in 3. d. 2. lit. F. vnionem materiæ, & formæ in composito non esse causalitatem earum, sed conditionem sine qua non: ergo hæc conclusio, & etiam prima est contra Scotum.

Respondeo negando antecedens, neque enim eo loco mentionem facit de causalitate, sed dicit vnionem requiri quidem ad hoc quod totum sequatur tanquam conditionem, sed non esse tamen ipsum totum aut de essentia ipsius: potest autem vnio, quamuis sit causalitas, esse conditio sine qua non: nulla enim conditio ad effectum præuia est magis sine qua non, quam causalitas per quam produciuntur formaliter; & sane quamuis compositum sequatur ad partes vnitas, & partes intelligantur vnite antequam causent totum, adhuc tamen non sequeretur quin vnio esset causalitas earum realiter, quidquid sit an formaliter sub ratione vnionis præcise deberet dici causalitas, vt patet ex dictis circa conclusionem primam.

QVÆSTIO IV.

An Deus possit seipso supplere causalitates materiæ ac formæ, earumque effectus.

45. *Q* Vandoquidem in confesso sit Deum posse se solo supplere causalitatem causæ efficientis, & illam etiam impedire non obstante quacumque applicatione præuia, primum quidem, producendo se solo absque concursu effectiuo causæ secundæ effectum, qui cum illo concursu produci solet connaturaliter; secundum vero, subtrahendo concursum suum à causa effectiua, à quo concursu cum illa essentialiter dependeat, non poterit sine dubio, eo subtrahendo, aliquid producere. Querimus ergo similiter hic, an pari ratione posset impedire causalitates causæ formalis ac materialis, aut se solo præstare illos effectus, qui iis mediantibus præstari solent.

CONCLUSIO I.

Deus nequit se solo absque concursu materiæ & formæ producere totum compositum, atque adeo non potest supplere causalitatem materiæ aut formæ circa ipsum. Hæc

Nequit
Deus pro-
ducere to-
tum abs-
que con-
cursu ma-
teriæ &
formæ.

Hæc debet esse omnium: & omiffis aliis probationibus, quæ afferri solent, probatur hæc vnicæ evidenti ratione, quia si posset producere compositum absque materia & forma, verbi gratia, hominem absque corpore & anima rationali, sequeretur quod esset homo & non esset homo, esset quidem ex hypothesi, quod produceretur; non esset autem, quia non includeret suas partes essentielles, quibus essentialiter constat; constat enim, ut suppono, homo essentialiter ex anima & corpore: & sane hæc ratio convincit conclusionem, quamvis non sequeretur imperfectio in Deo ex hoc, quod esset causa materialis aut formalis alicuius compositi, quia hoc non obstante non posset aliquid producere absque partibus intrinsicis essentialibus suis: & probaretur etiam, quod Deus non posset eminenter præstare quicquid potest formaliter præstare materia & forma; quia implicat quod vlla ratione faciat ignem aut hominem absque partibus essentialibus ignis aut hominis; unde illud axioma, Deus potest facere se solo quicquid potest præstare mediatis causis secundis, si vniuersaliter intelligatur, est falsum; quare addi debet ad eius veritatem, nisi in hoc faciendo esset implicancia aliqua.

CONCLUSIO II.

Potest supplere Deus causalitatem materiam. 46. Deus potest supplere causalitatem illam materiam, quæ dat formam esse, se solo dando ipsi esse & producendo ipsam absque vlla materia. Hæc est communis & certa, tum quia in hoc nulla potest assignari implicancia; tum quia de facto conseruat accidentia Eucharistica absque concursu materiam, nec difficilius ipsi est eas absque illo concursu conseruare, quàm producere. Verum quidem est quod hoc non faceret in genere causæ materialis, quia sic non posset eas producere aut conseruare, nisi recipiendo illas; hoc autem nequit facere, quia mutaretur physice, quod argueret in ipso imperfectionem: sed id faceret in genere causæ efficientis, nec est inconueniens quod causa efficiens suppleret defectum causæ materialis, in qua forma producit, quantum ad dandum esse formæ.

CONCLUSIO III.

Potest Deus supplere causalitatem formæ quæ daret esse materiam. 47. Deus non potest supplere causalitatem illam, quam in nostra sententia causa formalis exerceret circa materiam, per sui communicationem, bene tamen posset supplere causalitatem illam formæ circa materiam (si talis daretur) quæ forma dat esse materiam. Hæc est communis quantum ad primam partem, & probatur quia non potest facere se solo cum subiecto absque albedine, quod subiectum sit album, nec ut materia sit informata forma substantiali aqua: ergo nequit supplere illam causalitatem formæ circa materiam aut effectum formalem ad ipsam sequentem: quæ probatio multo faciliore est, quam alia, quam adducunt communiter, nimirum quod suppletionem huiusmodi causalitatis sequeretur imperfectio in ipso, quam tamen nolo hic reicere, quia forte reduci potest vltimate ad illam à me propositam.

Secunda pars est contra Thomistas communiter, sed communis tamen apud alios auctores, qui tenent nobiscum materiam posse conseruari absque omni forma, quod supra probauimus disp. 3. & ex hoc ipso principio probatur conclusio, quia quando sic Deus produceret ac conseruaret materiam, profecto suppleret defectum istius causalitatis.

CONCLUSIO IV.

Quomodo Deus potest supplere causalitatem expulsiuam. 48. Deus potest supplere defectum causalitatis expulsiuæ, quam habet forma in ordine ad aliam formam, quam ex eodem subiecto expellit, quantum ad hoc, quod ipsemet solus posset tollere illam formam à subiecto illo absque interuentu formæ alterius. Hæc est absque controuersia vlla, & patet tum quia in hoc nulla est repugnancia; tum quia forma ignis verbi gratia, & calor dependent in conseruari à Deo libere illas conseruante: ergo si nolit exhibere concursum conseruatiuum, desinente esse in subiecto; sed potest id velle absque productione formæ contrariæ: ergo absque tali forma potest efficere, ut tollatur forma à subiecto.

Et si dicas quod tum non tolleretur formaliter, contra, quia vel intelligis per hoc quod non tolleretur ita, ut reuera non esset ibi illa forma, & hoc manifeste falsum est: vel intelligis, quod non tollatur per aliam formam posituam, & hoc quidem verum est, sed non ad rem, quia nec asserit conclusio sic eam posse à Deo tolli; nec id venire potest in controuersiam: evidens enim est quod non posset tolli per formam absque forma.

CONCLUSIO V.

Dens non potest impedire causalitatem materiam, & forma circa totum aut se inuicem, supposita ipsarum vnione; potest vero supposito quocumque alio priori se tenente ex parte materiam, & forma; & potest etiam supposita vnione impedire ne vna forma expellat alteram. Hæc non habet vllam controuersiam præter eas, quas antea decidimus.

Probatur prima pars: quia ipsa vnio est causalitas productiua totius, & qua mediante educitur forma, & informatur materia, & consequenter implicat quod sit, quin sit totum, & quin causetur forma ac communicetur materiam. Quod si non esset causalitas productiua totius, sed illa causalitas sequeretur vnionem, & esset ab illa realiter distincta, valde difficile esset assignare rationem, cur Deus supposita etiam vnione nequiret impedire, quominus sequeretur totum: nec refert quod ille non posset supplere causalitatem ipsarum circa totum causando totum sine ipsis; nam inde non sequitur quin illam posset impedire in casu nostro: nam nequit ipse supplere causalitatem informatiuam formæ, & tamen potest illam impedire, posito quocumque præuio ex parte materiam & formæ, quod non sit actio productiua vnionis.

50. Probatur secunda pars, quia non necessitatur ex vi vllius præuij ad vnionem se tenentis ex parte materiam aut formæ ad concurrendum ad ipsam vnionem producendam: ergo posset quocumque tali non obstante, non concurrere, & consequenter eo etiam non obstante, impedire quo minus causerent totum aut seipsas.

Probatur tertia pars ex dictis supra disputatione 4. questione 3. ubi ostensum est plures formas substantiales non subordinatas posse esse simul in eadem materia de potentia absoluta: hinc enim sequitur quod possit impedire quo minus forma vnita materiam expellat alteram sibi contrariam ab eadem materia, ut patet.

DISPUTATIO IX.

DE CAUSA EFFICIENTE.

GGREDIMVR iam tractatum de causis extrinsecis corporum naturalium, ac aliarum rerum, quæ producuntur, ex quibus principalissima est causa efficiens, à qua propterea res, quæ producitur, desumit denominationem effectus.

QVÆSTIO I.

Quid sit causa efficiens.

1. Communiter describitur causa efficiens esse principium primum vnde, id est, à quo est mutatio accipiens; & quamvis verum sit quod hæc ratio conueniat soli causæ efficienti, & non materiali aut formali aut finali, quia res, quæ producitur, non dicitur produci à fine, sed propter finem: nec à materia, nec à forma, sed ex materia & per formam; tamen reuera mihi nunquam placuit: primo quia causa creans est causa efficiens, & tamen non potest dici proprie esse principium, unde est mutatio, quatenus est creans; neque enim, dum Deus creat Angelum aut materiam primam, fit aliqua mutatio proprie dicta, cum nullum subiectum mutetur à priuatione ad formam; & quamvis Angelus productus transeat à non esse ad esse, reuera tamen non dicitur proprie mutari. Secundo & præcipue quia non sufficienter explicatur hic, cur dicatur res ab efficiente potius, quam

Dens non potest impedire causalitatem materiam & forma circa totum aut se inuicem, supposita ipsarum vnione.

Communis defectus est, quod sit causa efficiens reus dicitur.